Syn. 7. 66. 60

Ὁ Ἀστὴρ Ὀρθρινὸς
Ἀπολάμπει.

Seu

Natalis Domini relucet, refulget,

In Academiâ Mariſchallanâ Carolinæ Univerſitatis *Aberdonenſis*, Octavo Calendas Januarias,

M, DC, LXI.

UNIV. LIB. CAMB.

Auguſt. lib. 4. de trinit. *Cap* 8.
Contra rationem nemo ſobrius, contra ſcripturam nemo Chriſtianus, contra Eccleſiam, nemo pacificus, ſenſerit.

ABERDONIIS,
Anno Ær. Chriſt. 1661

UNIVERSITY LIBRARY
JA 17
1902
CAMBRIDGE
41-166

Illustrissimo, Nobilissimo, Potentissimo,

Comiti MARISCHALLO,
Domino de *Keith*, *Altrie*, *&c.*
Augustissimi ac *serenissimi* MAGNÆ BRITANNIÆ, &c.
Monarchæ, *CAROLI*, II. Consiliario intimo ac sigilli privati conservatori,
Famigerato *Kethorum* Principi,
Provinciarũ *ABERDONIÆ* & Merniæ Vicecomiti, Musarum suarum fautori, Mecænati amplissimo, Propensissimo, Munificentissimo,

Jacobus Leslæus, *M. D. A.* & Athenæi Marischallani Gymnasiarcha.
S. P. D.

Mysterium illud maximum, de populi Christiani origine, in salvatoris mundi Iesu Christi exortu et nativitate manifestata & illustrata: Convenientiâq; τῶν λόγε incarnationis, veritatis lumen tam splendidum ac illustre reddit: ejusq; natalis, perpetua et præcipue anniversaria debito tempore commemoratio, ad tantum tamq; mysterioſum mortalibus recolendum beneficium, adeo necessaria est, ad eamq; tanta anhelantis & languentis populi incitatio vt quin in publicum, ad ejus celebrationem, prodirem; á me ipso impetrare nequirem. Nec id audaciæ adscribi velim, quod in hac florenti

universitate

universitate (ubi tales S. S. theologiæ professores insignes et pastores reverendissimi quotidiè apparent) tantum animi habuerim; Cum non temeritas præceps, sed penuria an incuria (dicam) horum, quibus talem inclytam solennitatem celebrandi, tuendiq́ provincia incũbebat; me invitum adegerit; ut maximè necessaria & orthodoxa hac de re recolerem observata, quibus notis, exploratis & perspectis, á nullis hujus temporis Fanaticorum *tenebris*, Christi *Domini nativitatis commemorationem in scholis nostris in posterum offuscari nedum aboleri posse, confido: cum eam ut, per antiquorum & maxime orthodoxorũ autoritatem, καὶ ἀποστολικὰ διδάγματα stabilitam, omnes pij* Christiani, *cernuique venerentur. ut ex infra scriptis facile patebit. οὐ γὰρ ἀ ισθήσεως καὶ κολάσεως uti solebãt illi, ἀλλὰ λόγου δεονταῖ.* Nobilissime Comes, *sicuti cum strenuissimis in Scotiâ copiarum ἀρχιστρατήγων, et nobilissimis patriæ dynastis, consilio, auxilioq́ pro Augustissimi magnæ Britanniæ Monarchæ,* Caroli Secundi *Serenissimi & Pientissimi Regis nostri, patriaq́ à certissimâ ruinâ & seditione, cum omnibus tuis; vindicatione: Cumq́: Heroë scilicet illustriss. et omnium succedentium sæculorum votis, præce et elogio concelebrando* Georgio Duce Albamarliæ *&c. vigilantissime adesse conatus es: & sicut maximus ille* Georgius *avus tuus, qui prorex & proxeneta á serenissimo rege* Iacobo. 6. *beatæ memoriæ delegatus in* Daniam, *suis splendori fuit & ornamento, exteris admirationi. Ita & pro ecclesiæ ex evangelio reformatæ, splendore, iisq́ quæ maximé ad salutem, Christianorumq́ disciplinam conducibilia fore existimantur, integerrime, veré nobilis Avi ac Proavi exemplo te apparere, totumque dare, pro certo ducimus. Ad vestræ igitur celsitudinis asylum quasi ad sacram anchoram vel cynosuram confugit sacratissima veritas, ut causæ suæ laboranti & quasi labascenti adesse velit, pro autoritate illa qua pollet, sicq́ obtrectatorũ latratus facile parvipẽdemus, dum hæc nostra sub potentissimâ vestrâ fore protectione cognoverimus.* Vale datum è Collegio Marischallano Carolinæ Universitatis 8 *Cal. Ian. Anno* Ær: Christi M, D C, L X I.

BENEVOLO LECTORI.

EPitomen hanc, privato hujus Athenæi ſtudioſorum uſui deſtinatam, è SS. literis, B. Patribus antiquis, aliiſque optimis autoribus collectam & excerptam, novo ærì committere & divulgare, rogantibus, ſuadentibus, immo impellentibus nonnullis illuſtriſſ. prudentiſſ. & ſpectatiſſ. viris, amiciſque, de improviſo, commoveor. Hanc igitur παῤῥησίαν, Amice Lector, placido ac benevolo accipe animo, hujus impolitæ editiõis primæ inelegantiam à me vel aliis hujus ſeculi beatiſſimi, multò me in diſciplinis divinis profuſioribus, animoſe in poſterum ſperans, acutioribus immo & eloquentioribus argumentis ſupplendam fore. Invidis quibus μωμᾶσθαι quam μιμεῖσθαι facilius, & qui me ampiuãte, redantruare nolunt, ſuperſedeo: ſpretis quotquot adverſantibus ſecundum adagium illud. Ἀκιῶν μέγιστος ὁ φοβᾶται τὸς ψόφους.

Typographi pariter junioris imperiti tyrocinium prælo calente emiſſum excuſetur.

Præcatio.

OMNIPOTENS æterne DEUS, benigniſſime PATER, qui ſic dilexiſti mundum, ut filium tuum unigenitũ dares, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Per hunc perdilectum filium tuum *IESUM CHRISTUM* Dominum noſtrũ, (cujus nativitatem admirabilem ab angelo prædictam, cæleſtiq; exercitu adoratam recolimus) te ſupplices veneramur & rogamus. Dirigere & ſanctificare; regere & gubernare dignare Domine DEUS, hodie corda & corpora noſtra, ſenſus, ſermones, actuſq; noſtros omnes, in lege tua et in operibus mandatorum tuorum, ut hunc diem religioſe ſine vllo peccato, aut ſcandalo celebremus, teq; nunc et in æternum glorificemus et ſalvi ſimus. Nihilq; agamus quod non ad divini tui nominis gloriam, cultum, et laudem, Regis, eccleſiæ, et reipublicæ emolumẽtum tendat atq; dirigatur, idq; per & propter filium tuum unigenitum *IESUM CHRISTUM* Dominum noſtrum, cui ſemper cum *Patre & Spiritu ſancto ſit honor, laus & gloria in ſempiternum. Amen.*

UNIV. LIB. CAMB.

In Natalem Domini Oratio.

QUoniam ex prædictionibus ſacrarum literarum earum demq; adimpletione, quamplurimorum item orthodoxorum doctorum & in eccleſiâ profeſſorum, ſententiarum veritate, maxima pars actus hodierni diei multopere dependet & manifeſtatur: majoris obſervãtiæ et hujus diei celebrationis ergo, partem *Cap. 2. Sancti Lucæ Evã-*

gelista primò relegere operæpretium duximus, à *vers.* 10. ad finem usque, *Tunc dixit eis Angelus, nè metuite: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit toti populo, nempe natum esse vobis, Servatorem (qui est* CHRISTUS *dominus) in urbe Davidis, hoc autem vobis signum erit. &c.* & etiam partem *Cap.* 1. *S. Iohan.* ab initio ad *vers.* 15. *in principio erat sermo ille & sermo ille erat apud Deum, & atque ille sermo Deus. &c. & sermo caro factus est, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus. &c.*

Quibus verbis, quanta reverentia & admiratione, quibus item mysteriis perficitur, atq; manifestatur, quam maximâ item & sublimi gloriâ ab angelo, cælestiq; exercitu & aliis beatissimis, adventus atq; nativitas Salvatoris mundi *IESU CHRISTI* exaltatur, satis perspicuè videtis. Cujus commemoratio, à quibus, quomodo & quam religiosè & solenniter in ecclesiâ, omni ævo & ubiq; terrarum celebrata sit; quali quali item irreverentiâ & à quibus inclytam hanc solennitatem abolere decretum fuerat, ut prodigiosam eorum irreverentiam & ἀσεβείαν stupentes miremini, paucis & breviter dicere proposuimus.

Fertur quod Salamandra sit animal lacerti figura, stellatum, nunquam nisi imbribus proveniens, & serenitate deficiens; ita quidã, *Halliones*, ἁλιπλαβῶντες, lunatici homines seu potius *Fanatici*; non apparent nisi statu reipublicæ ecclesiaq; bello aut seditione turbato, iidem rebus pace compositis emoriuntur. Utq; qui anguillas capiunt, prius aquam turbant, ita horum temporum homines χρόνου δεινοὶ, nostriq; sæculi, cleones, nunquam apparuere, crevere vel multiplicati fuere, nisi prius turbatâ republicâ, ecclesiâq;, cujus præcipui instigatores fuere ipsi. Optimi quiq; Christiani paci, ac tranquillitati patriæ student, impii vero & flagitiosi maximè bellum, tumultus, etiam confusiones & reipublicæ commotiones concupiscunt, quibus afflicta fides in pace, rebus vero turbatis & incertis alacres, & per dubia insectaq; tutissimi sunt, ut qui privatim degeneres, in publicum exitiosi nihil spei nisi per discordias iis supereſt.

Verum enimvero, citra ullam jactantiam inanem, de ipsâ Scotiâ, imo & præcipue de *Abredoniâ* nostrâ affirmare possumus, Matrem tũ nobilissimorum Heroum, sanctissimorum & doctissimorum virorum *Episcoporum*, ecclesiaq; doctorum & pastorum, omnisq; generis virorum proborũ fuisse fœcundissimam; Christianamq; fidem summâ

diligentiâ

diligentiâ excoluisse usq; ad annum plus minus trigesimum sextum septimum aut quadragesimum. Quo tempore, errorum, *Fanaticorumq;* primi emissarij, regiam potestatem, jura regni, ecclesiæq; fere omnes ritus, civium, patriæq; concordiam provolventes & tinearum more perrodentes, venena sua sub pietatis velo, plaudentibus sed deceptis libarunt primò nonnullis Scotiæ proceribus, aliisq; deinde quamplurimis generosis, & præcipuè militibus, ecclesiæque pastorib⁹ novaturiētibus. à quo etiam tempore, quam dirâ sorte, quātis rerum tristium asperitatibus sub insolito servitutis jugo premebantur & jactabantur, veri subditi, & pii Christiani; omnibus satis est compertum. Sectarii enim superbiæ tumorem, dominandi libidinem, animiq́ue sordes, cupiditates, delitias, religiosâ specie operientes, Dei sanctuarium tanquam hæriditario jure illis devolutum occupavere, sua somnia, commenta, impostoras, regio ac ecclesiastico jure omni per summum nefas fracto & conculcato, nec sine furente pertinaciâ disseminavere. Quorum quidam relicto ecclesiæ spiritu, & Regiæ etiam Majestatis spretâ autoritate, ita indigni immo & profani evasere, ut in diebus festis & ipso Salvatoris mundi nativitatis die, Christianis, nè Deum adorarent ut opus diei interdicere, ipsosq́ue dies festos declinare & diffamare ut diabolicos, (ut hisce auribus indignabundus sæpius audierim) ausi fuerint, ita ut revera mirum sit, quam egregiè Nequam ille spiritus Novatoribus istis Fanaticis illuserit, cū non solum dierum istorū celebrationem quibus dominus maxima ad hominis salutem mysteria peregisset, sed & ipsius orationis dominicæ divino planè artificio constantis, veræ precationis formulæ, usum *Cap.* 11. S. *Luca* nobis commissum & mandatum abnegaverint.

Redeunte enimvero *Magnæ Britanniæ* sole, Serenissimo, Augustissimo & Pientissimo rege nostro, CAROLO SECUNDO *Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ* rege, fideiq́ue defensore, cælitus dato & divinitus nobis restituto; rediit & splendor ecclesiæ, vera nobilitas, subditorum libertas, imo veri nobiles, orthodoxi & pii doctores & in ecclesiâ professores iterum apparuere.

Cum optimis itaq́ue, maximè orthodoxis & piis doctoribus bona proferamus, & quæ tradita & observata fuere de feriis & diebus festis domini nostri IESU CHRISTI, in ecclesiæ ipsius infantiâ, provectiori immo, & virili ætate, ab Apostolis ipsis, primis ecclesiæ CHRISTI Episcopis, discipulis pastoribus, *Pol. Verg.* lib. 4. *Cap.* 6.

Resp. eccles. Epis. Spal. A patribus antiquis, omnibusque piis & orthodoxis; item & ex evangelio etiam reformatis professoribus & doctoribus observemus & nos. Iuxta illud. 2 *Epist.* ad *Thess.* 2 15. perstate igitur fratres & retinete traditam doctrinam quam edocti estis & per sermonem & per epistolam nostram. Sic divus Ireneus *lib.* 3 *Cap.* 4 veritatis traditionem, inquit sine charactere vel atramẽto observate. Sic *August.* Epist. *Casulano*, in his rebus inquit de quibus nihil certi statuit scriptura, mos populi Dei vel instituta majorum pro lege tenẽda sunt. παρὰ τῶν οὖν ἀκριβῶς ταῦτα εἰδότων παρειλήφαμεν τὴν ἡμέραν ἄνωθεν καὶ ἐκ παλαιᾶς παραδόσεως. *Chrysost. hom.* in *Nat.* ad *Pop. Ant.* Hei mihi cur nimium quæ sunt manifesta requirere cogimur! Nam id apprimè in ecclesiâ utile esse existimatur, ut certis & statutis temporibus ad res divinas administrandas & celebrandas utantur Christiani, alias populus in incerto positus nunquam convenire poterit, ut audiat verbum domini. Tempus enim conveniendi simul, audiendi verbum, invocandi nominis Dei, percipiendi sacramẽta, quamvis ecclesiæ CHRISTI liberum sit, est ita tamen liberum ut omnino ordo καὶ εὐταξία, decentia item & ædificatio observãda sint. 1 *Cor.* 14. 40. atq; ita nullius conscientia obstringitur sanctificandis diebus ut tamen crimine non careat, qui nullâ coactus necessitate cõstitutos ab ecclesiâ dies festos negligit nec observat *Hier. Zan. Col.* 671. Quæst. 1. Ordinem autem illum præcipuè in ecclesiâ veteri, Apostolicâ & Catholicâ omni ævo & ubiq; terrarum observatũ retinere, servare, & observare debemus.

Idem *Hieronimus Zanchius* maximè orthodoxus & in ecclesiâ ex evangelio Professor reformatus in 4 præceptum de diebus festis. Quamvis inquit ecclesiæ CHRISTI liberum sit, quos velit, præter dominicum, dies sibi sanctificandos deligere: honestius tamen est, laudabilius atq; utilius eos sanctificare, quos etiam vetus & Apostolica, puriorq; ecclesia sanctificare solita fuit.

Festum hoc nativitatis variis insignitum nominibus, cujusmodi sũt, θεοφανία, ἐπιφάνια, γενεθλία τοῦ σωτῆρος, ἑορτὴ μέγιστη, luminaria, dies natalis domini &c. (uti apud *Chrys. Nazianz, Basil. & Ambros.* legimus) ab incunabulis Christianismi, per omnia succedentia secula, ut ἑορτὴν μέγιστην & solennitatem maximè insignem (cum die dominico) observatam & celebratam fuisse liquidò constat.

Primo siquidem à CHRISTO sæculo, testimonium hac de re perhibet

pertinet Glorioſus ille *Martyr, Clemens*, S. *Pauli* cooperarius, citatus 3, ad *Philip.* 4. de conſt. Apoſt. lib. 5. *Cap.* 12. dies feſtos cuſtodite, inquit, fratres, & primùm quidem *Natalem Domini*.

Secundum quod attinet ſeculum ſuis eximiis teſtibus & hac de re fide dignis haud deſtituitur. THEOPHORUS enim in epiſt. decret. tom. 1 concil. ſtatutum eſt inquit nocte *ſanctæ Nativitatis Salvatoris* mundi, ut *liturgias* religioſè celebrent & *hymnum Angelicum* ſolenniter decantent, quia eadem nocte ab angelo paſtoribus nunciatus eſt, ſicut ipſa veritas teſtatur. Tertio CHRISTI ſeculo, conſpicua adeo erat hujus feſti ſolennis celebratio ut in hodiernum extent diem conciones de nativitate CHRISTI, ipſo natali die habitæ, in operibus *Beati Cypriani* impreſſ. *Pariſiis* 1633. p. 445 in lib. de cardinalibus CHRISTI operibus, utinfra. *Ambroſii* item *Serm.* 12. 13. 14. & *Hieronymi*, tomo 9. pag. 82, qui vixere annis 381 & 385 *Gregorii Nazianz.* 377. *Epiphanii* qui 378 aliorumq; etiã ad *Chryſoſtomi* uſque & *Auguſtini* tempora & deinceps. Nemo doctus ignorat; ſola de tribus primis ſæculis plurimorũ hæret animis dubitatio, quæ quam levis ſit cernitis: nullo modo itaq; opus eſt laterem lavemus, adducendo teſtimonia hujus ſolennitatis obſervationem confirmantia per inferiora ſecula, cum à nemine ſanæ mentis, hoc in dubium revocetur. Quæ quidem omnia non ſolum à patribus hiſce antiquis aliiſq; quamplurimis qui ipſam eccleſiam conſtitutioneſq; Apoſtolicas ad rectam rationis normam, per canones in ordinem & ſplẽdorem redegerunt ſed etiã a modernis & recentioribus in eccleſiã ex evangelio reformatis immo & maximè orthodoxis, approbantur & confirmantur. Ut idem *Hieron. Zanch.* ſupra citatus, vetus inquit eccleſia ſolita fuit præter diem dominicum, alios quoque dies feſtos celebrare, Paſcha, Pentecoſten, feſtum item Aſcenſionis & Natalem DOMINI, quæ vetus conſuetudo adhuc retinetur in non paucis aliis eccleſiis ex evangelio reformatis, quas ego quidem hac in parte nullo modo damnare poſſum, neq; ullo modo reprehendere, præſertim cum ſint ſine ullâ ſuperſtitione, ſineq; ullâ conſcientiarum obligatione ſerventur, & hi dies feſti ad ædificationem ſint inſtituti.

Optimè etiam *Feſtus Hommius* S. S. Thologiæ Profeſſor in Collegio Antibellarminano diſp. 41. theſ. 3. Præter diem dominicum inquit, non eſt illicitum, nec libertati Chriſtianæ omnino repugnans, ſi de communi eccleſiæ conſenſu alii adhuc ſtati quidam dies in ec-

cleſiâ Chriſtianâ obſervantur, vel extraordinariè, ut in iis ſolennes in publicis calamitatibus ſupplicationes inſtituantur: vel ordinariè, ut in iis quotannis ſolenniter commemorentur & celebrentur inſignia quædam DEI beneficia, ſive temporalia, populo alicui præſtita (quam ob cauſam inſtitutum olim erat *feſtum Purim*) ſive ſpiritualia in totam eccleſiam collata à Domino noſtro IESU CHRISTO. Utile enim eſt & eccleſiæ ædificationi inſigniter ſervit, præcipuas DEI patefactiones & maximè inſignia in eccleſiam beneficia, ut in recenti ſemper ſint memoriâ, populo quotannis ſtato tempore repetere & ſolenniter incolcare. Hunc in finem, cum jam inde ab Apoſtolorum temporibus, primitiva eccleſia, memoriam nativitatis, mortis, reſurrectionis & aſcenſionis Domini in cœlos & miſſionis Spiritus Sancti in die Pentecoſtes, ſtatis diebus anniverſariè celebraverit; rectè faciunt qui in hac re non tantum adiaphora ſed etiam ad ædificationem valde utilia, praxin eccleſiæ primitivæ imitantur & retinent, modo ne ſuperſtitioſè diebus illis aliquam per ſe ſanctitatem affingant, aut contra libertatem evangelicam abſolutæ neceſſitatis laqueum animis Chriſtianorum injiciant. Ita & nos etiam quo ad dies ipſos, omnes æquales eſſe cum orthodoxis aſſerimus, quo ad res vero quæ in iis peraguntur unus eſt præſtantior alio, & ita in eccleſiâ omni ævo & præcipuè in eccleſiæ infantiâ præſtabatur & celebrata fuerat nativitas domini & omnes illi dies, quibus Salvator noſter inſignia aliqua ad hominum ſalutem myſteria conducibilia perfeciſſet, ſic apud *Polydorum Vergil.* de invent. rerum lib. 6. cap. 8. perhibent Apoſtolos ipſos ut omnes illi dies quibus Salvator noſter ad ſalutem atque diſciplinam noſtram aliqua peregiſſet myſteria, ſacri eſſent, & apud poſteros majori haberentur veneratione, eos primùm religioſe excoluiſſe quamdiu vixiſſent, cujuſmodi ſunt dies dominici et natalis Domini. Vixque ullo alio efficaciori argumento pro diei dominici obſervatione utuntur acutiſſimi doctores.

Hæc confirmantur clariſſimè etiam apud *Magdeb.* lib. 1 cent. cap. 6. ipſi inquiunt Apoſtoli et alii Chriſtiani ut aliis rebus adiaphoris ita et feſtis liberè uſi ſunt. Juxta regulam 2. ad Colloſſ. 16. nè quis vos damnet ob cibum aut potum aut reſpectu diei feſti &c. ſecundum etiam ultimam partem cap. 14. ad Romanos.

Reformatores etiam omnes eccleſiæ Chriſtianæ ex evangelio præcipui & maximè orthodoxi in *Galliâ, Germaniâ, Angliâ, Belgio, Polloniâ,*

lonia, Bohemia &c. præcisè mandant & expressis verbis prohibent nè in diebus festis lectiones sacræ, piæ & aliæ similes quæ ad tranquillitatem & bonum ordinem in ecclesiâ conducunt, omittãtur. Sic in responso protestantium de reformandis abusibus ecclesiasticis, Anno. Dom. 1541. apud *Goldastum*, in eâ parte responsi cujus autor fuit *Philippus Melanctonꝰ*. Prohibendum est, ne omittantur conciones ordinariæ in diebus festis & curandum per eos qui præsunt ut pastores pia & utilia ad ædificationem & apta temporibus dicant.

Ita in Ecclesiâ reformatâ Auspurgensi (seu potius confessio ecclesiarum germanicarum reformatarum dicta Auspurgensis, quia Auspurgi CAROLO quinto per *Philippum Melanctonꝰ* exhibita (ubi insignis quædã ecclesiæ reformatio) docent ritus illos servandos esse, qui sine peccato servari possunt, & ad tranquillitatem & bonum in ecclesiâ ordinem conducunt, ut certæ feriæ, certæ canciones piæ & alii similes ritus &c. vid. corp. & syntag. confess. ang. art. 150.

In confessione etiam *Helveticâ* cap. 24. præterea (inquiunt) si ecclesiæ pro Christianâ libertate, memoriam dominicæ nativitatis, passionis, resurrectionis, ascensionis item in cœlos & missionis Spiritus sancti in Apostolos, religiosè celebrent; maximoperè approbamus. vid. corp. & syntag. conf. p. 73. c. 24.

Ita Ecclesiæ Bohemicæ. cap. 15. profitentur se observare nativitatem Domini & alios dies festos ut traditiones. vid. corp. & synt. conf. pag. 263.

Beatissimus ille etiam Ecclesiæ Christianæ ex evangelio reformator præcipuus & eximius, eruditissimus immo & eloquentissimus *Johannes Calvinus* in Epistolâ ad *Hallerum*. Quum dies festi (inquit) hic abrogati graviter ex vestris quosdam offenderint, ego autem sãctè testari possum me inscio ac nè optante quidem hanc rem fuisse transactam: ex quo revocatus sum, hoc temperamentum quæsivi ut natalis CHRISTI observaretur vestro more, reliquis autem diebus extraordinariæ supplicationes clausis mane tabernis fierint, hoc testatum esse volo si mihi delata optio fuisset, quod nunc est constitutum, non fuisse pro sententiâ dicturum.

Idem etiam sapientissimus professor in Epistolâ ad Ministrum *Burensem*, ex plebiscito audivi (inquit) abrogatos esse dies festos, adeo mihi res inexpectata erat, ut propemodum obstupuerim, certè si sententiam rogatus essem, nihil aliud dico, nisi quod vix ausus essem

ica statuere. Si quid tamen culpæ esset, iniquè faciunt, qui me subjiciunt alieni facti reum.

Henricus etiam *Bullinger*, in epist. ad *Calv.* in lib. epist. *Calv.* fol. 138. non aliud expectaveram de te, mi frater responsum, quam quod exhibes. Scio enim in hujusmodi rebus parum pietatem promoventibus, multùm autem invidiæ conflantibus, te nonquam fuisse morosum, ego quidem in his eam libertatem servari cupio, quam video apud ecclesias ab ipsis Apostolorum temporibus. Nostra ecclesia ante annos ni fallor duodecim, plura habuit festa: sed abrogatis his, solum retinuit *Diem Dominicum*, & festa CHRISTI, Nativitatis scilicet, Circumcisionis & Ascensionis Domini, adjecit & missionem Spiritus Sancti.

Si igitur pium & æquum est ut in ecclesiâ sint certi dies festi, impium & iniquum est aut nullos esse, aut qui sunt contemnere. Sic sacræ docent literæ, sic Patres antiqui & nostri seculi pii omnes doctores, sic vetus consuetudo & usus in omnibus, omniumq; locorum & gentium ecclesiis receptus & approbatus confirmant.

Cum deniq; ita conveniens & maximè necessaria respectu omnium hominum verbi incarnatio sit, immo etiam ex suppositione peccati, ut nullus hominum remissionem peccatorum, gratiam & gloriam nec aliquid ad illas positivè conducens assequi potuerit, nisi per incarnationem, adventum, nativitatem, merita & gratiam Domini nostri IESU CHRISTI, & quotquot aliquid horum habent per Christum habere certissimum omnino sit, dicente Apostolo Epist. 1 ad *Corinth.* 15. 22. *Sicut in Adamo omnes moriuntur, ita & in CHRISTO omnes vivificabuntur* & 5 ad *Rom.* 17. *Sicuti per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines, in justificationem vitæ* &c. Cum etiâ mysterium hoc cogitatu sit admirabile, usque ad ecstasin; pulchrum cognitu, usque ad ineffabilitatis confessionem; dulce atq; jucundum amatu, usque ad immensitatem: altius captu Angelico, quia absconditum à seculis; profundius comprehensione humanâ, quia cœleste; latius & amplius omni extensione creatâ, quia divinum: idem quoque humanissimum, quia verbum abbreviatum, *Deum-hominem & Hominem-Deum* in uno CHRISTO complexus fuerat, & in eo majestatem cum humilitate, virtutem cũ infirmitate, æternitatem cum mortalitate, cœlum cum terrâ, infima cum summis, modo quodam supra omnem modum humanissimo

conjunxerat

Pastores, pios, humiles, sub quorum tutela & moderamine in exteriore pariter ac interiore tranquillitate, sanctum nomen tuum invocare & prædicare possimus. Faveas BRITTANNIÆ & HYBERNIÆ, sitque unio ut in fide, ita & in cultu ac disciplinâ uniformitas. Exulet Atheismus, Papismus, Phanaticismus ἐνθουσιασμός, vel cõvertantur omnes, imo Phanatici, sciantq; te illũ esse DEUM justum, judicem ac vindicem, qui superbos superioribus & Parentibus immorigeros rejicit & severè punit. Consiliariis regis, judicibus, senatoribus, civibus, omnibusq; in te confidentibus benedicas & præcipuè illustriss. Comiti MARISCHALLO Mecœnati nostro munificentissimo ejusque familiæ universæ. Propitius esto Benignissime Dom, Civitati huic, senatui, senatoribus, Pastoribus omnibusque incolis, huic etiam Universitati & Athenæo huic illustri, Moderatoribus, Discipulis, instruantur, ita & educentur omnes ut capaces fiant ad gloriam tuam promovendam, salutem animarum reipublicæ, ecclesiæque bonum. Afflictos in corpore aut animo sustine, peregrinantes per mare, per terras in portam salutis redige. Sed quia gratiæ tuæ muneribus indigni per peccata nostra efficimur excita in nobis timorem tui & honorem nominis tui, ut ab omni peccato diligentissimè caveamus; illumina nos per virtutem Spiritus Sancti & dirige gressus nostros in semitis tuis, ut non tam nostris viribus quam subsidiis tuis innixi, viam mandatorum tuorũ inoffensâ pede curramus, donec metam ipsam & præmia, quæ diligentibus te præparasti assequamur per unigenitum Filium tuum Dominum nostrum IESUM CHRISTVM in cujus nomine & verbis pergimus precari. *Pater Noster. &c.* Charitas DEI Patris, Gratia IESU CHRISTI, Communio Spiritus Sancti sit nobiscum omnibus nunc et in æternum.

AMEN.